

05

A

568





*Disputatio AntiGesauviticæ sexta
& ultima.*

DE VERBO DEI SCRIPTO.

*Contra mendaciorum Mulmanni-
corum speculum, à Iohanne Mulhusino D. Apo-
stata, & Professore Moguntino,
fabricatum:*

PRÆSIDE

M. IOHANNES MULMANN-
NO S.S. Theologiæ Professore
& ad D. Nic. Lips. Archi-
diacono.

RESPONDENTE

M. CHRISTIANO MULMANNO
Pegaviensi.

WITTEBERGÆ

Excudebat Iohan. Schmidt, Sumptibus Cle-
mentis Bergeri Bibliop. Anno 1608.



*Reverendis, Clarissimis, Praestantissimis-
que Viris:*

Dn. LEONHARTO HVTTERO
Seniori.

Dn. FRIDERICO BALDVINO,
Superattendenti.

Dn. VVOLFGANGO FRANZIO
Arcis Praeposito.

S. S. Theologiae in inclyta VVitebergensium
Academia Doctoribus & Professori-
bus celeberrimis.

NEC NON

Excellenti, Clarissimoq; Viro:

Dn. M. ERASMO SCHMIDT, Graecæ
linguæ ibidem Professori, & Alu-
mnorum Electoralium
Inspectori.

*Dominis suis praeceptoribus, Fautoribus ac promotoribus per-
petua animi observantia colendis,*

*Exercitium hoc Theologicum debita gratitudinis
ergo consecrat & offert.*

M. Christianus Mulmannus
Pegav. Respondens.

Disputatio sexta & ultima.

THESIS I.



*Q*uod Quintilianus habet de clam. 11. *Quidam cum nullum crimen obijcere possunt, de mendacij magnitudine veritatem capiant: id ad Mulhusinum nostrum merito accommodari potest; quam enim expeditus sit in exprobrandis mendacijs, quam verò ignavus ad probandum, ex sequentibus non minus atq; ex antecedentibus apparebit.*

Quintili-
an,

προβολὴ mendacij decimi septimi.

II.

Mentitur nunc Mulmannus decimò septimò, sic argumentari Iesuitas:

Sicut se habet albedo ab albam nivem, sic se habet ἀνομία ad peccatum.

Sed albedo est ridicula causa albæ nivis:

Ergò etiam ἀνομία est ridicula causa peccati. Et per consequens, Ienenses sunt blitei, insulsi, & πρὸς τὴν λύξαν ὄνοι, qui, dum quæritur, quæ causa peccati sit? respondent, discessus à lege vel ἀνομία (lit. F. 2. pag. 1.)

In hac ratiocinatione posterius illud consequens conceditur totum: Mentitur tamen Mulmannus, dum Moguntinis affingit antecedens. Hoc duntaxat dixerant Moguntini: Formam & quasi naturam peccati consistere quidem in ἀνομία ex I. D. Iohan. cap. 3. at hoc supposito quæri, quid causæ sit, quod homines etiam sancti & Deo grati, possint, dum vivunt in mundo, in ἀνομίαν incidere? Ad hanc quæstionem, respon-

sionem non adèd multis cognitam, apprimè tamen
 necessariam iis, qui sanctæ scripturæ authoritatem
 sartam ac tectam conservare student, promittere,
 quod facit Mulmannus thesi 77. & deinde responde-
 re, causam esse ἀνομίαν, quod idem Mulmannus thesi
 83. hoc dixerant Moguntini esse stupidum; non mi-
 nus, ac si quis nivem albam esse videat & concedat,
 causam verò unde albedo ista oriatur, ignoret: roget
 verò ex altero, unde albedo illa nivis ortum habeat,
 isque responsionem promittat, non omnibus cogni-
 tam, apprimè tamen necessariam Philosophis, tan-
 demq; dicat, causam esse albedinem. Hoc, inquam,
 responsum stupidum dixerant Moguntini. Et rectè.
 Nam ἀνομίαν formam esse peccati certum est: quo po-
 sito, cum quæritur, cur homines in ἀνομίαν incidant,
 non quæritur amplius peccati formalis causa, sed qua-
 si efficiens, deq; hac respondendum fuerat (videatur
 censura Moguntina.)

ἀντιβολή.

III.

*Ne Sophista simplicioribus imponat, cupiò notari has
 quaestiones. 1. An status controversiæ sit de ἀνομία, aut de
 peccato? 2. An peccatum habeat causam propinquiorem quàm
 ἀνομίαν?*

QVÆSTIO I.

An status controversiæ sit de ἀνομία, an
 de peccato?

IV.

*Etsi hac duo se habent ἀντεσραμμένως, tamen unum est
 altero notius; aliàs inconvenienter admodum explicaret &
 definirer*

Quomodo
 τὰ ἀντιστέ-
 φοντα dif-
 ferant.

definiret Iohannes peccatum per ἀνομίαν: nam ut Philosophus ait: ὁ δὲ ἀπὸ τῶν ἑσῶν ἢ γνωσιματέρων ἐστὶ βέλτιον ὠρίσασθαι.

V.

Invertit igitur Sophista statum controversiae, quem ex Colloquio Ratisbonensi definiri cupio: is non est de ἀνομία, sed de peccato, & quaritur cur Pontificij peccare possint, sive in errorem incidere. Hec duo licet non differant τῷ λόγῳ ἢ τῆ ὀυσίᾳ, differunt tamen τῆ γνώσει, ideoq; diversum disputationis statum constituunt, quem Gesauv vita fallaciter confundit, contra expressam Colloquij formulam.

VI.

Sic perinde facit, ac si ad questionem cur Plato sit homo, quispiam responderet, causa est anima rationalis, & alius questionem depravando responsionem ita illuderet: Forma & quasi natura hominis consistit quidem in rationali anima: at hoc posito queritur, quid cause sit, quod Plato praeeditus sit anima rationali: ad hanc questionem respondere causam esse animam rationalem, planè stupidum est, non minus ac si quis nivem albam esse videat & concedat, causam verò ignorans cognoscat ex altero eam esse albedinem. Talis cavillatio non est candidi disputatoris.

VII.

Contra licet homo & anima rationalis τῷ λόγῳ non differant, tamen quarenti cur Plato sit homo rectissime respondetur, causa est anima rationalis: ita in hac lite: cur Sancti saepe incidant in peccatum, aptissime respondetur, causa est ἀνομία.

VIII.

Ideoque mentitur Mulhusinus, nos de ἀνομίας causa querere: imò querimus de causa peccati, eamq; cum Iohanne censemus esse ἀνομίαν sive exorbitationem à Verbo Dei. Hoc praesupposito nemo errabit exorbitando à traditionibus

A 3

Ponti-

Lib. 6. Topic. 4.

Resp. 1.
καὶ δεξιῶν
τῆσ' ἀσέ-
ως.

2. à pari.

Pontificijs, de quibus, quod Verbum Dei sint, tantum constat, quantum de Diabolo, quod sit ex numero S. Patriarcharum.

Nec de causa efficiente
quaestio est.

IX,

Similiter parum proficit, dum peccati non formalem causam quari ait, sed quasi efficientem: nemo enim tam stupidus est, qui dubitet, an is qui peccat, peccatum efficiat? sed disputatur, qua quis ratione peccet, an quatenus homo, an vero quatenus ἀνομία est, & verbi divini transgressor.

X.

Quin imò, quid quaeso magis ridiculum esse potest, quam si quis peccante homine conspecto quærat, unde peccatum eius ortum habeat, utrum ab homine, nec ne? quis quaeso effecit speculum istud miseriarum, fuitnè homo an Beanus?

QVÆSTIO II.

An peccatum habeat propinquiorem causam
quàm ἀνομίαν?

XI.

Dum Mulhusinus concedit ἀνομίαν certò esse peccati formam, sequitur ἐκ τοῦ ἀυθομολογημένου, eam quoque eiusdem προσεχῆς sive proximum αἰτίον esse. Ideoque de erroribus & mendacijs hand aliunde iudicandum est, nisi ex ἀνομία, sive ex deflexione à lege & Verbo Dei.

XII.

At notandum est, quod Iohannes definiat, peccatum non παρανομία, sed ἀνομία, id est, non quod est contra Verbum & legem Dei, sed quod est sine Verbo & lege Dei, ut universum definiti ambitum amplectatur, & ostendat, etiam illa opera peccata esse, qua sine Dei mandato quasi ex Dei mandato fiunt, & pro cultu venditantur.

Παρανο-
μία & ἀ-
νομία dif-
ferunt.

Quòd

XIII.

Quod enim in hoc composito litera (a) sit. *σεσητηκη*, testatur Paulus Rom. 2. vers. 12. ὅσοι ἀνόμως ἡμαρτον, ἀνόμως καὶ ἀπολεύονται. Quicumque sine lege peccarunt, etiam sine lege pereunt.

XIV.

Ita planè in fumum ac ventum dissipatur Gelatuvitarum distinctio, quam in Colloquio Ratisbonensi veluti arietem evertenda veritati admovent: Traditiones, inquiunt, quae sunt contra Scripturam, non quae sunt sine Scriptura, hoc est, παρανόμοι non ἀνόμοι reijcienda & pro injustis habenda sunt. Quasi verò ἀνόμον peccatum non sit, sed saltem τὸ παράνομον siue ἡ παρανομία, qua voce Petrus utitur 2. Pet. 2. vers. 16. & Actor. 23. vers. 3. Paulus τὸ παρανομῆν opponit τῷ κατὰ τὸν νόμον κρῖνειν. At ἀνομία latius patet, complectitur enim utrumq; & quod κατὰ νόμον, & quod ἀνευ νόμου committitur.

Exploditur
Gelatuvitarum
distinctio.

XV.

Quare nos ita argumentamur:

Omne ἀνόμον est reijciendum:

Omnis traditio ἀγγραφος est ἀνόμος:

Ergò omnis traditio ἀγγραφος est reijcienda.

XVI.

Major manifesta est ex Iohannis Epistola.

Minorem probo: Quia sacra Scriptura tradit legem ac Normam rectè credendi & piè vivendi. Vnde Spiritus sanctus legis fundamenta in Scriptura ostendit, juxta illud: Sicut scriptum est in lege Domini. Luc. 2. vers. 23. In lege quid scriptum est, quomodo legis? Luc. 10. v. 26. item 24. vers. 44. Ioh. 1. vers. 45. & 8. vers. 17. Nonnè scriptum est in lege vestra Iohan. 10. vers. 34. & c. Contra. extra scripturam

*ram nulla nobis commendatur lex fidei & cultus divini.
Ergò quæ caret Scripturæ authoritate traditio, cultus ac
fidei lex esse nequit.*

προβολῆς mendacij decimi octavi.

XVII.

Mentitur Mulmannus decimò octavò : Concede Moguntinos, Patriarchas, Prophetas & Apostolos, peccasse in moribus & doctrina (lit. F. 2. pag. 2) putidissimum est mendacium, & probatio eius mendax item; ex thesi Moguntina 118. sect. 4. in qua hac de re nulla syllaba. Quod si Patres nonnulli & Doctores Ecclesiæ in errores inciderint, quod non negamus, illi neque Prophetæ, neque Apostoli, neque Patriarchæ à nobis habentur.

ἀντιβολῆς.

XVIII.

Occurrunt hic quæstiones. 1. An Moguntini concesserint Patriarchas, Prophetas & Apostolos peccasse in moribus, & doctrina? 2. An qui ita peccarunt, Patriarcha, Prophetæ & Apostoli fuerint?

QVÆSTIO I.

*An Moguntini concesserint, Patriarchas, Prophetas
& Apostolos peccasse in moribus
& doctrina?*

XIX.

Vos verò Moguntini th. 118. sect. 4. contenditis, ex sanctissimis quibusq; Patribus, quotquot fuerunt ab initio Christiana Religionis, partim martyrio, partim etiam doctrina

etrina & miraculis coruscantes, non defuisse, qui in errores fundamentum fidei evertentes impegerint.

XX.

Hoc concesso, nolentes volentes etiam concedatis oportet id quod diximus. Nam quod sanctissimis Patribus: id etiam Patriarchis, Prophetis & Apostolis contingere potuit: sed ex illis nonnulli vobis consentientibus peccarunt in doctrina & moribus. Ergo etiam nonnulli ex his. Ratio: in omnibus superfuit vitiosa & ad errores propensa natura tanquam mala arbor, quæ non potest bonos fructus facere. Matth. 7. vers. 18. Hanc Paulus legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captivantem se in lege peccati appellat. Roman. 7. vers. 23. Atque hoc volebam, vos concedere Minorem argumenti: vi scilicet consequentia.

Vbi vitiosa
natura, in
peccandi
proclivitas.

QVÆSTIO II.

An qui peccarunt in moribus & in doctrina, Patriarchæ, Prophetæ & Apostoli fuerint?

XXI.

Negant hoc Moguntini, ne literulam quidem respondentes ad exempla huic negationi à nobis opposita, in Anacrisi cap. 17. & 21. interim non attendunt, quanta se difficultate implicent.

XXII.

Peccarunt gravissimè: Adam Satana non Deo obtemperando: Noah vino se ingurgitando: Loth filias suas vitiano: David adulterium & homicidia perpetrando: Nathan consilium Regis de adificando templo approbando 1. Paral. 18. Propheta Bethelanus reducendo virum Dei ab itinere: 1. Reg. 13. Apostoli regnum Christi terre-

B

num

num somniando, Luc. 22. Petrus & CHRISTVM abne-
gando, & de Christiana libertate non rectè sentiendo Gal. 1.
Iudas Salvatorem prodendo, Iohannes Angelum adorando.
Apol. 19. &c.

XXIII.

Iam fueruntne hi Patriarchæ, Prophete, Apostoli? si
negas insanus es, negabis enim Adamum, Noam, Lothum
fuisse Patriarchas: Davidem, Nathanem & Senem Bethe-
lanum Prophetas: Petrum, Iudam, Iohannem Apostolos:
si affirmas, liberas me à crimine mendacij: ita enim con-
cedis, quod te concessisse modò negabas.

περβολὴ mendacij decimi noni.

XXIV.

Mentitur Mulmannus decimò nonò. Nullam
unquam ex Apostolorum, Prophetarum, & ortho-
doxorum Patrum numero cupivisse, secundum ratio-
nis regulas & præcepta, in rebus ad salutem animæ
pertinentibus agere (lit. G. I. pag. 1.) Mendacium, in-
quam, hoc est, ipsi etiam Mulmanno contrarium, qui
pro legibus Analyticis, & regulis vel præceptis ratio-
nis κατὰ πάντας, κατ' αὐτό, & καθόλου πρώτων tanquam pro
aris & focis decertat: & Christum Dominum ipsum
in ista ratiocinatione:

Qui ex Deo est, verba Dei audit:

Sed vos non auditis verba Dei:

Ergò ex Deo non estis.

Analyticè (id est, secundum leges κατὰ πάντας,
κατ' αὐτό, & καθόλου πρώτων) egisse contendit, nec non,
D. Paulum in Epistola ad Romanos in articulo justi-
ficationis (lit. C. I. pag. 2.) & certè rationis regulas
à rebus ad salutem pertinentibus, id est, Theologi-

cis

cis disputationibus, Mulmannum nunc, per Apostolorum, Prophetarum, & Orthodoxorum Patrum exemplum & auctoritatem excludere, nihil aliud est, quàm quicquid hætenus de legibus Apodicticis & analyticis κατὰ πάντος, κατ' αὐτό, & καθόλου πρῶτον, tam in methodo τῆς θεολογικῆς ἀποδείξεως, quàm in Anacrisi, laboriosissimè extruxit, eundem, quasi uno flatu bul- lam destruere.

ἀντιβόλη.

XXV.

Adversario meo non fuit tantillum animi, ut auderet probationes meas refellere, quarum robore perterrefactus conticuit. Quod enim nullus ex Orthodoxis Doctoribus concupiu erit, secundum Rationis Regulas in rebus ad salutem animæ pertinentibus agere, id probavi subsequenter medijs.

XXVI.

Primò. Quia res ad Salutem animæ pertinentes sunt contra rationem. 2. Quia Rationis Regula sunt principia Theologiæ ἑτερογενῆ. 3. Quia negocia salutis non pendent ab humana sapientia. 1. Cor. 2. Ephes. 2. Ergò in rebus spiri- tualibus non licet secundum Rationis Regulas agere. Vide Probl. 1. in Anacrisi nostra. Has probationes præterijt Mul- husinus, clausis oculis.

XXVII.

Interim opponit mihi ea, quæ copiosè de legibus Apo- dicticis tamquam regulis vel præceptis rationis, κατὰ πάν- τος, κατ' αὐτό ἢ καθόλου πρῶτον differui, ut eorum usum in Demonstrationis Theologicae methodo genuinum & germa- num ostenderem.

Resp. 1.
κατ' ἐπι-
τίμησιν.

Ratio non
est Norma
Fidei.

B 2

Sed

2. κατὰ
διαίρεσιν.

XXVIII.

Sed repeto ego distinctionem aliquoties usurpatam inter principia scientiarum propria & communia: aut inter regulas rerum & regulas methodi, sive τῶν ὁπῶν τῆς παιδείας.

XXIX.

In rebus ipsis sive articulis fidei & sacris mysterijs tractandis & probandis nihil agendum est secundum Rationis regulas, sed juxta Regulam Sacrae Scripturae. Nam ad legem & ad testimonium revocantur omnia. Esa 8. vers. 20. Gal. 6. vers. 16.

XXX.

D. Athana-
sius.

Quomodo D. Athanasius Rationis regulas ex negotio salutis excludat, apparet ex serm. de Incarnatione Verbi Dei contra Paul. Samos. ἡμᾶς, inquit, καλῶς ἔχει θείοις ἐπεσθαι ἑήμασι, ἢ μὴ λογισμῶν γυμνασίαις προσιδόναι τὰ σαφῶς κεκηρυγμένα, id est, nobis decorum est, verbis divinis inhaerere, nec ea deserta relinquere Syllogismorum commentationibus, quae clare nobis sunt tradita. Iam si libet Mulhusine, poteris concludere. Ergo Athanasius cum Mulmanno non est praeditus λογισμῶν seu ratione.

XXXI.

D. Ambro-
sius.

D. Ambrosius nobiscum non minus facit lib. 8. Epist. 63. cum inquit: Negant plerique nostros (Theologos) secundum artem scripsisse: nec nos obnitimur. Non enim secundum artem scripserunt sed secundum gratiam, quae supra omnem artem est, scripserunt enim quae spiritus ijs loqui dabat. Sed tamen ij, qui de arte scripserunt, de eorum scriptis artem invenerunt, & condiderunt commenta artis & magisteria. Subjungit mox exempla, quomodo ea quae in arte requiruntur praecipue αἰτιον, ὕλη, & ποτέλεσμα in sacris scripturis inveniantur.

VXXII

*Vtrumque statuit hic Ambrosius: & quod ars in rebus sa-
cris*

cris nihil valeat: & quod rursus in modo docendi & tradendi suum usum habeat. Quomodo enim ex sacrarum rerum scriptoribus commenta artis & magisteria condi & inveniri potuissent, nisi artis praecepta ab ipsis observata fuissent.

XXXIII.

Sensus igitur Ambrosii est: quae Theologi scripserunt, ea dixit avit ipsis non ars sed gratia Spiritus Sancti: interim in scribendo modum adhibuerunt, ut Magisterium artis satis clare & perspicue proderent.

XXXIV.

Hec de rebus ipsis: at cum de communi docendi modo quaeritur, adhiberi possunt Regulae rationis, salvis proprijs scientiae principijs. Est aliud secundum rationis regulas in rebus ad salutem animae pertinentibus agere: aliud est secundum easdem modum tractandi & docendi instituire.

Atque sic quae ego de modo disserui, haec Mulhasinus de proprijs Theologiae principijs & articulis fidei calumnioso & sycophantico ausu interpretatur.

XXXV.

Addo & hoc, si mentior dicendo, quod orthodoxi Patres non egerint secundum rationis Regulas in rebus spiritualibus: Verum dico illos id ipsum fecisse. At rationis Regulae sunt leges Apodicticae: Et tamen non concedunt Moguntini Patres secundum leges Apodicticas in rebus spiritualibus egisse: dicunt n. illas leges haecenus in Ecclesiis in aditus fuisse. Ergo non concedunt quod verum est: si verò hoc falsum est: verum erit illud, quod supra mendacium patidissimum dixerunt. In quemcumque igitur te vertis angulum Mulhasine, contradictionis & ἀντικατηγορίας laqueo te implicas, & per consequens aut hic aut ibi, aut verius utrobique putidissimus mendax es.

προβολὴ mendacij vigesimi.

B 3

Mentitur

Quomodo
regulae ra-
tionis tole-
rari pos-
sint.

Mogunti-
nis sibi con-
tradicit.

XXXVI.

Mentitur (Mulmannus) fortiter & strenuè vigesimo. Auditores Pontificiorum iis credere, qui se ad Scripturæ veritatem non patiuntur astringi. (lit. G. p. 2.) mendacium est crassum, non minus quam sequens.

Ἀντιβολή.

XXXVII.

Sanè qui Pontificiorum auditores sunt, ij talibus credunt quales illi sunt: si non credunt, non sunt Pontificiorum auditores, sed Christi, cuius vocem audiunt. Iohan. 10. vers. 4. & 16.

QVÆSTIO.

An Pontificij se patiantur ad sacræ Scripturæ veritatem astringi?

XXXVIII.

Quod autem Pontificij se minimè patiantur ad Sacra Scripturæ veritatem astringi adeò manifestum est, cum alicunde, tum ex hoc miserrimo speculo, ut probatione nulla opus sit.

XXXIX.

Tamen si licet in meridie lucem accendere, quero ex Moguntinis: si Pontificij se patiuntur ad Sacra Scripturæ veritatem astringi, cur ergò non sola Scripturæ sacra contenti sunt, cur deviant ad verbum non scriptum, cur in explorando sensu Scripturæ provocant simpliciter ad Ecclesiæ sententiam & iudicium? Estnè hoc astringi?

XL.

Dicent: nos astringimur ad Sacram Scripturam sed non solam, nam licet etiam Ecclesiam audire. Quid hoc aliud est, quam ad Scripturam ita astringi ne astrictus sis? Quatenus

nus

mus enim ad Ecclesie auctoritatem astringeris, catenis a Scriptura veritate cupis esse solutus. At semper licet vestro iudicio ad Ecclesiam astringi, ergo semper quoque licet a Sacra Scriptura veritate solutum esse.

XLI.

Stapleton.

Stapletonus in Promptuario suo Catholico Dom. 7. post pentecosten, lupinam rabiem sub vestimento ovis latere dicit in his Calvini verbis: Pontificij Ecclesie auctoritatem extra Verbum Dei collocant: nos volumus verbo annexam, nec ab eo separari patimur. Subjungit contra: Nos Catholici Ecclesiam Dei simpliciter audimus, non quidem sive Verbum DEI sequatur sive non, sed sive hoc nobis constet sive non.

XLII.

Ex his ita argumentor: Qui nolunt ad Scripturam sacram annexi, sed ab ea separantur, ij se ad eandem non patitur adstringi.

At Pontificij nolunt ad sacram Scripturam annexi, sed ab ea separantur: teste Stapletono primario Gesauv vita. Ergo.

XLIII.

Quid enim est aliud ad Scripturam annexi quam astringi? tamen ex adversariis alius fatetur se astringi, alius se negat annexi: hic est egregius Gesauv vitica plebis consensus.

XLIV.

Quid autem sibi vult Stapletonus, cum dicit Ecclesiam audiendam esse simpliciter, sive nobis constet, sive non constet eam sequi Verbum Dei? Quippe ne rationem exigas pronunciat a sententia, quia potest ignotum esse, an Ecclesia Romana sequatur Verbum Dei, hoc est, an recte iudicet: nam sequendo Verbum Dei recte iudicat: male, non sequendo.

Ecclesia
Romana
vult esse
ἀνυπεύθυ-
100.

Ergo

*Valentia: Ergò & antecedens: & per consequens mentitur
Mulhusinus.*

προβολὴ mendacij ultimi.

XLIX.

Mentitur Mulmannus vigesimò primò. Moguntinos in eo precio Scripturam habere, ut putent eam esse omnium hæreticorum genitricem: usque adeò, ut si illa non esset, nullos hæreticos essemus in mundo habituri. Et subjungit. Cum tam perversis & malignis hominibus, non possum aliter nisi per absurdas conclusiones agere. (lit. G. 3. pag. 1.) Effrons hoc est mendacium quod nunquam Moguntinis per somnũ in mentem venit: ac dignum proinde (licet plura hinc annotari possent) quod præcedentium omnium sit coronis.

ἀντιβολὴ

QVÆSTIO.

An Scriptura Gesauvuitis sit omnium hæreticorum genetrix?

L.

Ita sentire adversarios probavi supra in Disputatione tertia thesi 4. & 15. item 21: ad probationes meas solidam responsionem expectans.

LI.

Quibus ἐξ ὑπερβολῆς addo, quæ Moguntini in Disputatione de sacr. literarum interprete &c. fol 93. ponunt affirmantes, non posse certò & infallibiliter aliunde, quàm ex solius Ecclesiæ judicio constare, num Ministerium interpretatione divini Verbi ductum sequatur, vel

C

non?

non? Ratio. Quia non ex solo Verbo scripto, quod seipsum non ita explicat, ut qui illud legendo audiendove consulat, statim certò & infallibiliter norit, num huius vel illius interpretatio legitima sit, vel hæretica. Nam tunc nullos haberemus sectarios. *Hæc Moguntini.*

LII.

An ex solo Verbo
judicetur
veritas?

Primo his verbis contradicunt, cum alijs orthodoxis Patribus tum imprimis D. Chrysostomo qui in cap. 24. Matt. Hom. 49. veritatem ex solo Verbo judicari cupit. Qui ergo vult, inquit, cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas, ergò non ex successione hæredum Cathedralium Petri? sciens ergò Dominus tantam confusionem rerum in diebus novissimis futuram, ideò mandat, ut Christiani, qui sunt in Christianitate, volentes firmitatem accipere fidei vera, ad nullam rem confugiant nisi ad Scripturas: alioqui si ad alias respexerint, scandalizabuntur & peribunt, non intelligentes quæ sit vera Ecclesia &c. Sic Theodoretus ait: Hæreticos nemo refutare potest ἐν μίτῳ ἀποδείξεσθαι ἀπὸ τοῦ δεύου τῶν φέρον ἡσυχῆσθαι. Dialog. 2. cap. 17.

D. Theodoretus.

LIII.

D. Irenæus.

Irenæus lib. 3. adversus hæreses cap. 4. rationes extra sacram Scripturam ita refutat. Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositarium dives, plenissime in ea contulerint omnia, quæ sint veritatis, uti omnis quicumq; velit, sumat ex eo potum vitæ. Item. Quid autem si neq; Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonnè oportebat ordinem sequi traditionis? at reliquerunt nobis scripturas. Ergo non oportet sequi ordinem traditionis.

Secundò

LIV.

Secundo nonnè hoc est Scripturam omnium sectarum genitricem proclamare, cum ita argumentor:

Si Scriptura seipsam explicando certam & infallibilem veritatis notitiã parit, sequitur nos nullos habere sectarios:

Sed consequens falsum esse testatur experientia: Ergò & antecedens. Et per consequens Scriptura propter defectum sufficientis explanationis & judicij gignit hereses.

LV.

Committitur autem in hoc argumento fallacia secundum non causam ut causam, quod enim hereticos habemus, inde non fit, quod ex sola Scriptura sumptum de doctrina iudicium sit incertum & fallax, sed quia effrenes animi sacræ testimonijs $\sigma\upsilon\epsilon\ \beta\lambda\omega\tau\acute{\eta}\rho\iota\alpha$ adhibendo, iudicium non rectè instituunt.

Vera causa hæresium.

LVI.

Ideo enim reliquit nobis divina gratia Verbum literis consignatum, ut id futuris seculis, semper nobis foret adversus omnes sectas & errores tutissimum munimentum.

LVII.

Quo de fine Theophylactus in præfatione in Mattheum graviter in hunc modum scribit: Magni quidem illi atq; divini viri, qui ante datam Mosi legem vixere non ex literis & libris discebant, sed munda præditi mente spiritus illustratione illuminabantur atque in hunc modum Deo ipsis ore ad os colloquente, quæ Deo placita erant, cognoscebant. Tales erant Noë, Abraham, Iob, Moses. At postquam deteriores facti sunt homines, & indigni qui à Spiritu sancto illustrarentur, & docerentur, concessit tandem misericors Deus Scripturas, ut vel per illas divina voluntatis essent memores.

Theophyl.

memores. Ita & Christus Apostolis coram in sua persona locutus est, & Spiritus sancti gratiam misit doctoris. Verum quoniam haereses pullulatura erant, qua mores depascerentur, opera precium visum est, ut scriberentur Evangelia, quo discentes ex illis veritatem, non ab haeresium mendacijs deciperemur, moresque nostri non prorsus pessum darentur.

LVIII.

Quare qui ob perversam Scripturae interpretationem concludit ex sacris literis solis non esse de erroribus judicandum, perinde facit ac si ob medicamentorum abusum neget, morbos esse alicunde non solis medicamentis curandos.

LIX.

Notare velim hic attentum lectorem: Moguntinos iterum sic argumentari ut omnes intelligant, Scripturam Sacram Gesauv vitis prorsus non esse Normam vel *νεπιτησιον* veritatis: inferunt enim: nec ex solo verbo scripto, nec ex testificatione Ministerij certo & infallibiliter constare potest, num interpretatio sit legitima vel haeretica. Ergo ex solius Ecclesiae iudicio. Si ex solius Ecclesiae iudicio, ergo prorsus non ex verbo scripto: si ex verbo sed non solo, ergo non ex solius Ecclesiae iudicio. Ex hoc Moguntinorum exemplo certo & infallibiliter constat, mendacem non esse memorem.

LX.

Scito autem Apostata, vi argumenti tui sequi etiam contra te hoc: si ex solius Ecclesiae iudicio constat verum, nos nullos habere sectarios. Ut enim haeretici Scripturae auctoritate errores suos palliant, ita & Ecclesia praclaro titulo. Sic enim scribit Lactantius lib. 4. de vera sententia cap. 30. Singuli catus haeticorum, se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant. Vide supra Disputat. 2. th. 73. &c.

Sufficiant

Scriptura
S. non est
prorsus Nor-
ma Gesau-
v vitis.

Lactanti-
us.

Sufficiant hac pro refutatione 21. mendaciorum; ad-
derem plura, si quid de speculo tuo nondum tritum & fra-
ctum uspiam appareret: σέδ' ἐχρήθυσεν δάτερον δ' ἄσσαι, ἢ τὰ
ζητούμενα λύσαι, ἢ τοῖς πᾶσι ἡμῶν λεγομένοις σωθῆναι: ut cum
Theodoreto loquar ex cap. 1. Dialog. 2.

Theodo-
ret.

Victoria Deo, ejusq; Verbo Scripto.
Amen.

Errata typographica.

Disput. 1. thes. 1. lege Moguntinos. th. 15. l. est Martinus.
th. 35. τδσ.

Disp. 2. th. 53. l. quæ vel ex scriptura deducta est, vel eidem
consentit. th. 61. & 67. ψεύδοσ.

Disp. 3. th. 12. Iudaicam. th. 23. criminatur. th. 26. l. scri-
ptura. th. 49. δικαίων. th. 59. l. per se rectum est.

th. 61. in margine: simili: q. 5. l. verum.

th. 65. Monachorum.

Disp. 4. th. 46. ἐξεργεμα. th. 50. καὶ αὐτὸ.

th. 72. Quod non ex debito præstatur.

Disp. 5. th. 19. responderet; item discipulis th. 25. l. alterum
pro laterum. th. 36. sicuti.

Catalogus absurdorum insigniorum, quæ Mo-
guntinis in his disputationibus non si-
ne certis argumentis objiciuntur.

I.

Disputat. 1. th. 3. Sacra Scriptura sine Ecclesiæ autoritate
nihil probat, nisi quod Ecclesia auctoritatem habeat
judicandi controversias infallibilem.

II.

th. 12. Sacra Scriptura est absolutè & per se obscura.

III.

th. 19. Sacra Scriptura constat vitijs & defectibus.

IV.

th. 40. Sacra Scriptura est incomprehensibilis & investigabilis.

V.

th. 45. Romana Ecclesia potest interpretari consilia Dei incomprehensibilia & inperscrutabilia, quæ ne Apostolis quidem revelata fuerunt.

VI.

Disput. 2. th. 4. Sacra Scriptura prorsus non, sive nulla ex parte est Norma credendorum.

VII.

th. 24. Visiones & oracula divina, quæ non viva voce fuerunt revelata, falsa & fictitia sunt.

VIII.

th. 28. Quicquid Ecclesia publicè interpretatur rectum ac verum est.

IX.

th. 67. Omnes hæretici Scripturam unicam Normam prætendunt

X.

Disput. 3. th. 2. Scriptura Sacra est causa errorum & sectarum, si ad eam solam fiat provocatio.

XI.

th. 15. Sacra Scriptura non est litis expultrix sed propagatrix.

XII.

th. 28. Sacra Scriptura per se nullum explicat sensum, sive verum sive falsum.

XIII.

th. 37. Sacra Scriptura dicit verum sine omni sensu.

XIV.

th. 45. sacra scriptura est deterior omnium gentium libris.

XV.

Disput. 4. th. 1. Dubitandum est de omni articulo fidei.

th. 21.

XVI.

th. 21. Nullus articulus Fidei potest ἀποδεικτικῶς ex Sacris literis probari.

XVII.

th. 29. Quod Ecclesia Romana sive Papalis tradit, id habet ex Spiritus sancti revelatione.

XVIII.

th. 65. Demonstratio Theologica fit in ijs, quæ non sunt κατὰ πάντας, καθ' αὐτό, ἢ καθόλου πρώτων

XIX.

Disput. 5. th. 3. Verbum Dei scriptum redigit homines ad insaniam.

XX.

th. 9. Moderatè uti conditionibus Apodicticis in Theologia, est examinare spiritum sanctum.

XXI.

th. 19. Traditiones non-scriptæ sunt immobiles.

XXII.

th. 24. Traditio est non scripta: Evangelium Johannis esse Verbum Dei.

XXIII.

th. 30. Traditio immobilis constituit articulum fidei.

XXIV.

th. 39. Τὸ κατὰ πάντας, καθ' αὐτό, ἢ καθόλου πρώτον ignorarunt in Theologia, Scholastici, Patres & Concilia.

XXV.

Disp. 6. th. 14. Doctrina fidei, quæ Scripturæ autoritate caret, non est rejicienda.

XXVI.

th. 19. Patriarchæ, Prophetæ & Apostoli aut non peccarunt aut non fuerunt tales.

XXVII.

th. 25. Orthodoxi Patres egerunt in articulis fidei secundum Rationis regulas & præcepta.

th. 42.

XXV III.

th. 42. Ecclesia Romana simpliciter audienda est, siue constet eam sequi Verbum Dei siue non: hoc est, siue verum dicere siue falsum.

XXIX.

th. 47. Sacra Scriptura nullam proponit veritatem fidei.

XXX.

th. 51. Sacra Scriptura est omnium sectarum genitrix.

XXXI.

th. 59. Ex solius Ecclesiæ iudicio constat interpretationis veritas: Quid ergo tandem proderit sanctissima Scriptura: quid est explodere s. Biblia si hoc non est? Hæc & alia plura sunt insignia τῆς φιλαλληδείας in Johanne Mulhusino testimonia: quibus dum contradicit Mulmannus impudentissimi mendacis notam sustinere cogitur.



05 A 568

ULB Halle
004 209 923


3



Sb

1077





*Disputatio AntiGesauvuitica sexta
& ultima.*

DE VERBO DEI SCRIPTO.

*Contra mendaciorum Mulmanni-
corum speculum, à Iohanne Mulhusino D. Apo-
stata, & Professore Moguntino,
fabricatum:*

PRÆSIDE

M. IOHANNES MULMANN
NO S.S. Theologiæ Professore
& ad D. Nic. Lips. Archi-
diacono.

RESPONDENTE

M. CHRISTIANO MULMANNO
Pegaviensi.

WITTEBERGÆ

Excudebat Iohan. Schmidt, Sumptibus Cle-
mentis Bergeri Bibliop. Anno 1608.

